

Doc. 28

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Doc. 28

[1240 circa?]

Consuevit scientia dolorem totiens revocare, quotiens ad memoriam revocatur affectus quem ad patriam habeo et ad patres plurimum me compellit in vestris pectoribus sopiti doloris materiam suscitare. Est enim mihi huiusmodi casu dolor addendus doloribus et fletus fletibus inculcandus. Nam iuris civilis professor, doctorum doctor egregius et speculum patronorum G. defensor patrie, nuper, patriam deserens et vos ipsos, natale solum, capitis soluto debito, tenebruit. In cuius obitu, ad occasum, tenebre super fulgentis Viterbii menia ceciderunt et super totius adiacentis faciem regionis. Lugeat itaque regio, sed pre omnibus Viterbiensis civitas, mater eius, et, dum recens mors filii recensetur, recentis doloris aculeis eius uterus fodiatur. Lugeat omnis sexus, lugeat omnis conditio et precipue nunc ordo luctibus incalescat, qui, quasi perdita dextera, ex manibus nobiliori remota, – absque alicuius superstitis dico iniuria – factus est velut mancus.

O dolor, o meror, cur pater legum subiacere potuit legi mortis, qui, velut alter legifer Moyses de Monte Synai a Domino, non ab hominibus, legem scriptam et sibi datam celitus et traditam hominibus reseravit? Cur mori potuit qui multos de faucibus mortis eripuit et liberavit a canibus pillativis? Cur eius vita fuit imperio mortis victa, qui vitam hominum gloriose vocis munimine defensavit? Propter quod ploret honorabilis cetus noster et dicat: «o vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor noster». Precisa est enim vena subterranea vivi fontis et desiccatus est fons irriguus Eufrates. In morte namque tanti patroni completum est illud propheticum: «Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus». Rachel nostri temporis plorat

filium suum iustinianum militem triumphalem, nec est qui consoletur eam ex omnibus caris eius. Nam quis similis sibi, qui preeminens scientie et ingenii acuitate ad alta conscendens, philosophorum coherens vestigiis, inenarrabilis humilitatis vestigia preferebat et alta humilis sapiens et altus humilia non dedignans? Hic fuit qui iuris civilis manualia sub pectoris cella clausit et, non avara manu aquam dimittens, in plateis civitatis quondam dabat petentibus affluenter. Hic fuit qui triplicem scolam habens in tribus columpnis iustinianam sedem erexit, ubi edificans et expendens utiliter dies suos, factus vir potens in opere et sermone, sibi vena ingenii respondente, ducebat homines in stuporem.

O vitis frondosa et fertilis in racemis, que usque ad sedem Petri folia dilatasti! Precisa est radix et iacent palmites arefacti. Pereat illa dies, nec sit aliqua laude digna, non illustretur lumine, nec in diebus ortum videat surgentis aurore, que supra lucem adduxit caliginem et tanti obtussit syderis luminis claritatem. Sit dies illa solitaria, ut nec in diebus anni nec in mensibus numerentur, que maius extraxit vestri ordinis luminare, magistrorum magistrum, qui, sicut rara fenix in terris, sine pluralitatis [consortio] dici potuit singularis.

Sane, quia – sacri eloquii testimonio edocemur – iustus Dominus, in cuius manibus mors et vita, unico filio non pepercit, decet nos in socio participato et perduto ad invicem consolari et pronis vultibus dextram cognoscere corrigentis. Lex enim mortis, in primis parentibus et in persona superna regis filii observata, exceptionem in posteris non admittit, et licet tam sinister occasus non solum vobis, quibus lege societatis tenebatur astrictus, sed aliis multis sit merito deplorandus. Quia tamen hic

dolor non est medicabilis, huius fati equalitas temperet
misuram doloris.

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

Cfr. *Exod.*, 31, 18 ss. Ma l'espressione è un calco di Petrus de Vineia, *Epist.*, III 45 (= Nicola da Rocca, *Epistolae* cit. n. 15, p. 31); ed è usata anche nel doc. 24.

Ier., 1, 12.

Cfr. Hieronymus, *Liber interpretationis* cit., p. 5, r. 16, e i docc. 24 e 19.

Cfr. *Ier.*, 31, 15; *Matt.*, 2, 18. Ma cfr. anche il doc. 24.

Cfr. *Ier.*, 31, 15; *Matt.*, 2, 18. Ma cfr. anche il doc. 24.

Cfr. *Ioh.*, 4, 13; *Iac.*, 1, 5.

Cfr. *Luc.*, 24, 19. Cfr. anche il doc. 24

Cfr. il doc. 24.

L'integrazione è basata sulla simile espressione che si trova nel doc. 24.

Cfr. il doc. 24.

Cfr. il doc. 22 e la nota 5 all'edizione di quel testo.

6

13

14

Sulla protezione della patria attraverso la conoscenza del diritto cfr. il doc. 5.

Non è possibile identificare il personaggio: le iniziali dei nomi non sono significative, data la trasmissione di testi di questo tipo.